Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

In illo tempore. Cum descendisset ihesus de monte secute sunt eum
turbe multe. Et reliqua. *Omelia origenis de eadem lectione.*
Docente in monte domino discipuli venerunt ad eum.
sicut alacres. sicut domestici. sicut proximi vel fideles. Ideo
ait et dixit ad eos. Vos estis sal terre et vos estis lux mundi.
Descendente domino de monte. turbe secute sunt eum. *Lectio x.*
Qui in monte ascendere non potuerunt ut pigri. ut negli-
gentes. ut imperfecti. Ita et filii israel primum ascendere in montem
non valuerunt ad obviandum domino. propterea non potuerunt propter
suam irreligiositatem et impietatem. Sed solus moyses ascendit
et pauci cum eo seniorum israel. *Lectio xi.*
Cum domino discipuli in monte ascenderunt. et tardiores de-
orsum steterunt. Hic et nunc vigilantes et alacres et
fideles ante deum timentes. et dominum diligentes. regna celestia
desiderantes. dominum semper sequentes. Post dominum in illum celestem
montem ascendunt audientes apostolum dicentem. Que sursum sunt
sapite ubi christus est in dextera dei sedens. *Lectio xii.*
Descendente domino. hoc est inclinante se ad infirmitatem. et im-
potentiam ceterorum. misertus imperfectioni eorum vel infirmitati eorum
secute sunt eum turbe multe. aliquanti propter caritatem. aliquanti
propter doctrinam aliquanti propter ammirationem. et curationem. Et ec-
ce homo leprosus unus ex illis qui curationem querebant. qui leva-
men desiderabant. Tu. *Secundum matheum.*
In illo tempore. Cum descendisset ihesus de monte. secute sunt
eum turbe multe. Et ecce leprosus veniens adorabat
eum dicens. Domine si vis potes me mundare. Et extendens
manum. tetigit eum dicens. Volo. Mundare. Et confestim mun-
data est lepra eius. Et ait illi ihesus. Vide nemini dixeris. Sed va-
de ostende te sacerdoti. et offer munus quod precepit moyses